

PHÆN. XI. Speciali verò huic ventorum in Peruvia constantiæ, jungenda nunc generalium per vastos Zonæ Torridæ Oceanos aut perpetua similiter, aut statis saltem vicibus mutabilis conditio, quam prolixè *Varenius* Lib. I. Geogr. Gen. cap. XXI. optimam peregrinantium informationem secutus, *Athanas. Kircher.* Mundi Subt. Lib. IV. Sect. II. cap. II. & *Isaacus Vossius* Lib. de Motu marium & Ventorum, novissimè verò & procul dubio accuratissimè (quia non solum occasionem habuit conversandi cum Nautis per omnes Indiæ partes versatis, sed ipsemet multo satis tempore, juxta cum istis, intra Tropicos commoratus propriis rem edoctus est experimentis) *Edmundus Halley* Anglus, in *an Account of the Tradewinds and Monsoons* &c. i. e. Historica relatione ventorum statorum & Motionum &c. Transactionibus Philosoph. mensis Julii 1686. inserta, quam totam ex Anglico Sermone in latinum translata, unà cum Schematismo narrationem egregiè illustrante, dederunt Act. Erud. Collectores Lipsi. mense Septembri 1687. p. 509. & seqq. Nobis animus haut est ea omnia huc transcribere, sed primaria solum capita, quatenus ad præsens institutum faciunt, excerpere; quorum primum hoc est: Per universum Oceanum telluri intra Tropicos circumfluum (cujus partes sunt *Atlanticus* cum *Æthiopico* inter Africam & Americam, *Indicus* inter Africam & Insulas Indicas cum *Hollandia nova*, & *Pacificus*, has inter & Americæ littus occidentale, diffusi) generalem observari ventum *Orientalem*, in Atlantico, *Æthiopico* & *Pacifico* toto anno constantem ac perpetuum absque ulla notabili variatione; nisi quod paucis alicubi ab Oriente gradibus in Septentrionem & Austrum deflectere soleat: In Indico, intra decimum ac trigessimum gradum latitudinis australis, inter *Madagascar* & *Hollandiam novam*, itidem generalem, *Mesurum* circiter (h. e. *Sud-Ost zu Osten*) & statum anno toto, in cæteris ejus partibus Septentrionalioribus periodicos, qui dimidio anno ex una spirent plaga, & altero dimidio prope ex punctis oppositis, statis tamen in singulos annos vicibus.

PHÆN. XII. Quæ res ut paulò plenius intelligatur, de *Pacifico*, vastissimo omnium Oceano, speciatim notandum, in ipso præcipuè regnare ac luculentissimè ventum istum sive flatum ab oriente constantem ac perpetuum; ita quidem, ut sub *Æquatore* ipso directè sit *Orientalis*, à latere Septentrionali *Æquatoris*, collateralis inter *Subsolanum* & *Euro-boream* (*Ost* & *Nord-Ost*)
à me-